QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN SCHOlis Medicorum die Martis 13. Maij Moderatore Clarissimo viro M. Marco Myronio Medico Regio & in augusto ac interiore Concilio Regis Assessore.

Est ne febribus intermittentibus venæ sectio remedium?

VT *corporum omnium quæ infra lunam subsistunt, ita & hominis certus est interitus. Is non tantum variis externarum iniuriarum incursionibus vndique lacessitur, sed & alias in sese latentes causas vt morborum omnium, sic & febrium opifices fouet. Externæ sex rerum non naturalium numero continentur, quæ licet ad agendorum indicationem nihil conferant, iuuant tamen morborum dignotionem. Internarum aliæ propriæ sunt, aliæ impropriæ: hæ febrem faciunt symptomaticam, cui non debetur curatio; illæ primariam, quæ sunt duæ spiritus & humor. A spiritu, qui tenuis est et dissipabilis substantiæ, Diaria, hoc ab hecticâ discrepans, quòd in illâ caussa interna subest, in hâc cor laborat intemperie citra caussam, quæ morbum foueat. Humor quadruplex, sanguis, Bilis, Pituita, & humor melancholicus. Febres à sanguine omnes continuæ; putres, non putres, prout is vel simpliciter calet vel putrescit.*

RELIQVI *humores non nisi putres febres accendunt, in maioribus vasis continuas, in minoribus intermittentes non tam accessionis typo, quàm febris specie & ingenio æstimandas. His frigus, horror, rigor prodromus, qui initio in continuis malignitatis index, in pleuritide non malus. Eas fore breues non arguit retardatio, vt nec anticipatio longas. Quòd redeant facit motus, putredo, humoris cumulus. Quòd statâ periodo sint reduces non copia humoris, aut manifesta qualitas. In omnibus vrina pulsúsque index. Hic certior. Illa in putridis maximè spectanda: neque tamen in affectibus ventris superioris negligenda.*

CVRATIONIS *febrium momenta duo, purgatio et venæ sectio: quæ si loco adhibeantur sunt* προσφερόμενα *et alexiteria, si temerè & inconsideratè* ἀπρόσφορα *& deleteria. Vtrunque ex contentorum tum vitio tum situ instituendum, non omissâ, quæ ab affectæ partis temperie, situ & conformatione sumi solet indicatio. Purgatio cacochymiæ remedio est, quâ omnes fere morbi, qui ab humoribus fiunt, indigent: nequidem sanguis potest quantitate peccare, quin mox qualitatis vitium adsciscat. Adsciscit autem citò aut alteratione, aut alienâ mixtione. Vtrique sua remedia, in contrarium alterantia, purgantia: hæc licet calida, in febribus tamen vtilia, quia refrigerant: Quibus assumptis, vt & rigore præsente, somnus obest. Horum facultas vt caloris nostri beneficio suscitatur, ita & venenorum tam calidorum quàm frigidorum vis ab eodem in actum educitur.*

PRVDENS *& tempestiua sanguinis detractio vt multorum seruatrix, sic* αἱμοφοβία *interemptrix. Ea non soli plenitudini, sed & cacochymiæ, si in vasis, vt eidem, si extra vasa, catharsis vtilis, imò & cachexiæ. Illa* εὐεξίαν *abolet, hæc* εὐχυμίαν, *in quâ corpus grauatur, vt in fœdis coloribus apparet, licet sanguis suam symmetriam seruet. Non temerè, sed pro morbi magnitudine & virium robore præscribenda. Ætas, temperamentum, corporis habitus, anni tempus, regio tantum coindicant: si quæ contraindicent, non statim prudentem Medicum ab hoc remedio debent reuocare. sic aluo fluenti commodè imperabitur, licet sæpe aluum soluat; nec non mulieri vtero gerenti, maximè si febris ad sit, quæ vt fœtum aut morbosum facit, aut corrumpit, aborsúmque mouet, sic illa &* ἀναπνοὴν καὶ ζωὴν *refrigerio confert.*

HOc *in febribus intermittentibus saluberrimum remedium, in tertianâ in primis vsurpandum, quicquid deblaterent* αἱμόφοβοι καὶ πρεγωγοί, *clamat vrina rubra, pulsus, aucto sero putri sanguinis vitium, & rigor, qui omnis aut à vasis aut ab vlcere est: in cæteris etsi caussa morbifica aliud suadeat, non tamen omittendum. Eius in quartanâ tutior vsus, quàm purgationis, quæ si paulò vehementior initio periculosissima. Venam in affectibus partium è directo secare vtile, in communibus dextra sinistræ præferenda: Hâc sanguinis missione statim febris pestilens iugulanda, diris alioquin symptomatis hominem iugulatura: hâc elephanticis & hypocondriacis succurendum: hos nunquam febricitare putes, vt & biliosos, licet cum febre symbolum habeant, cùm semper febriant: testes dolores, testis praua coctio, quibus præter phlebotomiam lac, balneum, vini abstinentia vtilis.*

Est igitur febribus intermittentibus venæ sectio remedium.

Proponebat ANTONIVS RABAVLT Blancius Bituricensis Anno. 1597.